

Leistungskurs Bayern 1996

Der Philosoph zwischen Anspruch und Wirklichkeit

(Sen., dial. 7,17,1-18,2 carptim)

Gegenüber seinem Bruder versucht Seneca, Vorwürfe seiner Gegner zu entkräften:

Aliquis ex istis, qui philosophiam collatrant (1), dixerit: „Quare ergo tu fortius loqueris, quam vivis? Quare et pecuniam necessarium tibi instrumentum existimas et damno moveris et lacrimas audita coniugis aut amici morte demittis et respicis famam et malignis sermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi est, quam naturalis usus desiderat? Cur non ad praescriptum tuum cenas? Cur apud te vinum aetate tua vetustius bibitur? Cur trans mare possides? Cur plura, quam nosti? Turpiter! Aut tam neglegens es, ut non noveris pauculos servos, aut tam luxuriosus, ut plures habeas, quam ut eorum notitiae memoria sufficiat!“

Adiuvabo ea convicia et plura mihi, quam putas, obiciam. Nunc hoc respondeo tibi: Non sum sapiens et, ut malevolentiam tuam pascam, nec ero. Exige itaque a me, non ut optimis par sim, sed ut malis melior. Hoc mihi satis est, cotidie aliquid ex vitiis meis demere et errores meos obiurgare. Non perveni ad sanitatem, ne perveniam quidem. Delenimenta magis quam remedia podagrae (2) meae compono, contentus, si rarius accedit et si minus verminatur (3).

„Aliter“, inquis, „loqueris, aliter vivis.“ Hoc Platoni obiectum est, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi viverent, sed quemadmodum esset ipsis vivendum. De virtute, non de me loquor, et cum vitiis convicium facio, imprimis meis facio. Cum potuero, vivam, quomodo oportet. Nec malignitas me ista mujlto veneno tincta deterrebit ab optimis. Ne virus quidem istud, quo alios spargitis, quo vos necatis, me impediet, quominus perseverem laudare vitam - non quam ago, sed quam agendam scio.

(245Wörter)

-
- | | | |
|-----|--------------|---------------------|
| (1) | collatrare | anbellen, angreifen |
| (2) | podagra, -ae | Gicht |
| (3) | verminari | schmerzen, kribbeln |